

hepar pendere. Quò fit, at periculum non parvum fuerit, ne vehementioribus motibus promptè abrumperetur, repenteque admodum animal interiret, ut habet *Galenus l. 4. de U. P. c. 14.* Interdum fibris costis nothis nonnihil adheret, quod *Jacobus Zechius in Consultat. Med. 26.* annotavit: *corporibus nonnullis, ait, à naturà datum est, ut hepar fibris quibusdam ita costis inferioribus hæreat, ut hoc viscere laborante distentòque costarum regionem dolor infestet, atque pleuritidis speciem referat, quemadmodum multis abhinc annis observavi, & experimento comprobavi.* Hepar quoque diaphragmati annatum vidit *Baubinus*, quod notat in *append. de partu Cæsareo.*

Ex vinculis, quibus jecur peritonæo adnectitur, tenuem suã, & sibi peculiarem sortitur tunicam, quæ inflammata dolorem parit acutum ob nervos insertos. Tunica hæc quàm arctissimè parenchymati jungitur, circa quam & ipsam hepatis carnè aquosa materia è vasis excidens pustulas illas, quas Græci *ὀδόνδας* appellant, efficiens colligitur: quibus ruptis aqua incidit in abdominis cavitatem, ut vult *Galenus. 7. aph. 55.* & exinde interdum hydrops ascites, ut observavit *Felix Platerus*, generatur.

IX. VASA habet *arterias, venas, nervos, venas lacteas, vesiculam felleam, cum annexis poris, & novos ductus lymphaticos.*

1. *Arterias quidem exiles à cæliacâ arteriâ diffusas, easque innumeras, Valæi testimonio. Usus* harum est, sanguinem spiritumque vitalem pro nutrimentò coctioneque roborandâ adducere.

2. *Venas, ut vena cavæ radices, in duos vel tres insignes ramos albicantes, in parte gibbâ coeuntes; & Portæ surculos, obfuscos, triplò fere plures, in parte cavâ expansos; quorum utrorumque principium in hepate ab Hippocrate l. de alim. statuitur. Alii portæ principium agnoscunt in hepate, alii in mesenterio; cavæ autem in corde.*

Usus vena cavæ est, sanguinem ad cor, ut ibi novas accipiat vires, deportare; radicum vena portæ, non ut sanguinem in hepate